

nato consilio homicidium, dici non potest, retinere fidem, b. e. in Deum fiduciam & Spiritum S. gratiosè inhabitantem. Quæ respondeat ad hoc Argumentum Zwingerus satis scandalosè, inconsideratè, & fallaciter, vide apud Dannbauerum *Hodomor. p. 2035. seq.* Huic non immeritò ad latus jungimus *Salomonem*, de quo itidem nemo dubitat, num verè renatus, & in gratiâ apud Deum fuerit. At eam profectò excussit, cum exterarum mulierum amore ad Idololatriam se perducere passus esset, *1. Reg. XI. 14. seq.* Petrus abnegatione Christi fidem simul & gratiam Dei & Spiritum S. amittebat, donec seriò dolens, & veram agens poenitentiam, in gratiam iterum reciperetur. *Job. XVIII. 25. 26. 27.* Exemplâ reliqua, utpote *Aaronis, Exod. XXXII. 1. seq.* *Thomæ, Job. XX. 25.* *Hymenæi & Philetii, 2. Tim. II. 17. 18.* *Demæ, 2. Tim. IV. 10. & c.* prolixius heic non pertractabimus. Videri interim potest *B. Danubauer. Hodom. Phantasm. IX.* *Hodosoph. Phœnom. IX. p. 838. seq.* *Menzerus. Disp. III. in Synod. Dordrechtan.* *Meisnerus. Antropol. Sacr. Decad. II. Disp. XIX.* *Affelmanus. Syntagn. Part. I. Disp. XXII.* *Finckius. Cent. III. Canon. Theologic. Canone 81. aliq; ;* quos recensere omnes foret prolixissimum.

P O R I S M A V.

Neutiquam ex hoc Textu probari potest, Deum esse causam peccati.

Calviniani, dum docent, Deum prædestinasse homines ex absoluto quodam decreto non ad æternam modò damnationem, sed etiam ad peccata, quibus eandem promerentur, Deum apertissimè, ac simul & impiè peccati causam constituunt. Ostensum est hoc jampridem à Theologis nostris, ex quibus vel unicum adduxisse sufficiat *Dannbauerum*, qui in *Hodomor. Phantasm. IV. p. 927. seqq.* plurima ipsorum testimonia, quæ huc faciunt, allegat. Et videri poterat ipsis hic Textus aliquo modo patrocinari. Dum enim De-